Valerianus.

Subdapifer [illegible]

Banaszewic Adami Casim: Argus centoculus
a Deo ad custodiam salutis humanae S. Mi-
chaël Archangelus deputatus.

ARGUS CENTOCVLVS,
à DEO
ad Custodiam salutis humanæ,
S. MICHAEL ARCHANGEL:
DEPUTATUS,

Illustri, Magnifico ac Generoso Domino,

D. MICHAELI VALERIANO
DE RACIBORSKO

MORSTYN,

SVBDAPIFERO CRACOVIENSI, DEPUTATO TRIBUNALITII JUDICII REGNI POLONIÆ, &c.

Domino, Dño & Benefactori suo,

pro annua Solennitate S. huius, Patroni eius,

In vim gratulatorij applausus & debitæ obseruantiæ,

A

M. ADAMO CASIMIRO BANASZEWIC,

In Alma Uniuersitate Cracouiensi, Philosophiæ Doctore & Professore,

DEDICATVS.

Anno quo Centimano Æternus Centoculus eripuit salutem humanam 1686. 29. Septembris.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

In Stemma Illustrissimæ Domûs MORSTINIANÆ.



SPlendida nocturnas dispellit LVNA *tenebras,*
Æthereo radians sydus in axe nitet.
Omnia cælorum radiant Tibi lumina prestò,
Conceßitq; Tibi quidquid Olympus habet.
Cynthia det claras Tibi fausto lumine noctes,
Longæuumq; Tibi Sydus in Orbe micet.

STANISLAVS de Raciborsko MORSTYN,
Subdapiferida Cracouiensis, Eloquentiæ
in Alma Vniuers. Crac: Auditor.
Filius obsequentissimus.



ARGVS CENTOCVLVS.

Etiã fabuloſa veritas nõ ſine ſuo encomiaſta:
quia etiam nubes,
quod tanti luminis fontem, aliquando ſolem intra ſe latitare faciat,
non abſq; encomio eſt;
Ita ſane:
Sub cortina & velamine Pöetico res magnæ latent,
Tenebræ vatum, ingentem lucem tegunt.
eò laudabilius, quò ingenioſius.
Enthuſiaſmus Pöetarum ænigmata rerũ illuſtriũ dictat
quæ ſi ſpreueris res, quas in ſe portant, poſtpones.
At vas æſtimamus magni, ſi plenũ auro etiãſi ipſum non ſit pretioſũ;
nucleum non magis miramur nucis quàm corticem
quòd in eodem maturuerit ad guſtum.
nam
nudus ceſſiſſet nunquam vſibus ex arbore;
ſi homo eſt laudandus etiam ſphingis ænigma.
Cedant centum ora & linguæ, centum Argi oculis:
nam etiam hic
In fabula oraculum, in concha gemmam portat.
ænigma hoc eſt apud me hodie,
S. MICHAELIS ARCHANGELI,
Certe ſi oraculorum medullam de eo poſceres, nil tam emedullatum
nil magis ad nucleum, quàm Pöeticum hoc
Centoculus eſt Argus;
hoc diuerſus a commentitio,
quod hic in fabula, ille in re ipſa,
Fabuloſo ergo, ſi quæ offeruntur panegyres

 vel

vel ideò,
vt vectigales, honori & nomini S. Michaelis veniant in coronas;
eò promptiùs, quò verius centum est oculorum,
Hic Archangelus,
cum hac exceptione
vt fabulosus de veri nostri Argi laudibus participet nihil:
quia etiam
numismata quæ in pōdere non æquant nec in pretio debēt esse eodē,
Tua vmbra est hic fabulosus.
S. MICHAEL ARCHANGELE,
Veneror ergò pòëticum hoc inuentum, sed vel ex eò maximè,
quòd pro Te Sancto inuentum fuerit:
quia etiam
Viuæ imagini fides, pictæ sæpè fictæ opinio humana debetur.
Præfecerat hunc Dea illa fabulosa, custodem Iönis,
nunquam in spe antiquitatis sopiendum,
cui tamen blanda Mercurij lyra intonuit somnum,
luminaq; eius & Vigiliæ Iunoniæ aui cessêre.
Deus Omnipotens,
Te fecit custodem animarum nostrarum præstantioris,
inter tot blandos flatus, portionis; *(cula.*
In oculis Tuis hucusq; salus nostra, in custodia valetudo, procul peri-
Certè quidem,
Draco etiam iniquus, huius aurei pomi, animæ nostræ custos,
Sed Tu illi Hercules es,
S. MICHAEL,
triumphans in prælio, & Angeli Tui Victores,
Tu fortior & vigilantior,
nec oculos Tuos, speramus aliquando decipi ita;
vt non excubes, vigilesq; pro nobis,
& in die judicij fide credimus Te classicum tubâ daturum.
Tubalem ergo pro Te etiam vocem intonare deberē,
& centum linguis pro Tuis centum oculis loqui
si mem-

si membra vertantur in linguas;
quæ est impossibilis Metamorphosis;
vnica hæc etiã conscia suæ culpæ in Tuis conticescit laudibus lingua.
Vocalis tamen Tibi
ILLUSTRIS, MAGNIFICE ac GENEROSE DOMINE
MICHAEL VALERIANE
DE RACIBORSKO
MORSTYN,
SUBDAPIFER CRACOVIENSIS,
DEPUTATE TRIBUNALITII IUDICII REGNI &c.
In eius Festo vti Patronum gratulari non sinit,
nec cui iustius quam Tibi qui nomine es Michael oculis Argus.
In Luna Tua quot radij, tot oculi à longè prospicientes
Ecclesiæ, Patriæ, Reipublicæ
vsibus.
In qua etiamsi aliquando nube Mauortiâ obducti, contra Othomanos inter cruenta prælia occubuerunt radij.
Quid?
si tota Luna Vestra splendeat fulgeatq;
non est admirationi vna arbor sublimis, quod euertatur
si eiusdem altitudinis tota sylua est.
Igitur propter velatos nube aliquot radios
Sol non est inter Planetas Princeps?
non in adoratione?
Ita fatetur cacus:
Quia non videt, quod etiam in defectu aliquot radiorum, est mundi oculus lucidissimus Sol & inter cælestia lumina Princeps;
Ita Vestra Luna etiam in defectu aliquot radiorum
Luna est clara splendore digna honore.
In lucidissimo radio suo

 ILLU-

ILLUSTRI, MAGNIFICO, ac GENEROSO DOMINO
VLADISLAO
DE RACIBORSKO
MORSTYN,
CAPITANEO KOVALIENSI,
fulgentiſſima hæc prominet;
imò verò quæ Veſtræ Virtuti & Meritis ceſſit media
Nunc in plenilunio apparet, verè non decreſcens
Prominens & micans inter tot tantaq;
Illuſtriſſima Familiarum inſignia.
ASCIÆ TARLOVIANÆ,
non abſq; eius luce micant ſplendentq;,
quarum nulla rubigo vnquam futura.
Influxerunt huius Lunæ radij & in ipſum,
LEONEM LACKORONSCIUM,
vere ignes Tauricana tecta conſumentes ſpirantem ita;
vt terribile hoc animal Lunæ Othomanicæ,
ad LUNÆ MORSTYNIANÆ radios miteſcat,
eius influentijs calefactum.
Ita hæc Luna Illuſtriſſimis nonniſi Serena affulget,
nec radios ſuos ad ima deflectit
Agit quidem ſat copioſo influxu in hæc inferiora pauperum,
ſed non ſe communicando, prouidendo inopiam.
vnde videre licet
Quoties hic radius Cracouiæ oritur, toties quam magnæ
ruunt turbæ ad influentias miſericordiæ!
& quiſq; explet ſitim.
Sed plura dicam,
non vanâ aliquâ micat luce in hoc radio Luna Veſtra,
ſed agit copiosè influitq; benigniſſimè
iuſtis meritis, magnis ſumptibus,
in Regni neceſſitates,
vnde ipſe in toga Conſus oracula dictans, & ne non illuſtrior
ſago,

ſago appareat pro ſuo nomine tot prouidit cohortes,
vtq; teſtetur quantò largiùs Patriæ affectum
diffudit tanquam à ſe deriuatum radium
MAGNIFICUM, ac GENEROSUM DOMINUM
IACOBVM Filium dilectum ſibi
SUB
SERENISSIMO, INVICTISSIMI
IOANNIS III.
POLONIARVM REGIS,
Scuto lucere
contra Lunam Othomanicam,
non reſpiciendo quod in illa æmulatione lucis ad Strygonum
defecerit ille radius vtinam nunquam extinguendus
Maior natu Filius eius
MAGNIFICUS ac GENEROSUS DOMINUS
MICHAEL,
cui cùm indolet lachrymis, gaudet eum perijſſe
pro Cruce CHRISTI, pro Fide,
amans Filij amantior Patriæ Pater,
Verus Xenophon.
Fulget hæc & ſplendidiſſimè coruſcat
IN
ILLUSTRI, MAGNIFICO, ac GENEROSO DOMINO
STANISLAO MORSTYN,
VEXILIFERO ZATORIENSI,
ſemperq; ad Sereniſſima Regum Solia
nullis intertexta tenebris micat.
Vir hic vt probatiſſimus ita & meritiſſimus,
triumphalibus laureis ex tot Patriæ hoſtibus
toties in ſumma gloria coronatus,


C Aſt

Ast in Te ipso
ILLUSTRIS, MAGNIFICE ac GENEROSE DOMINE
MICHAEL VALERIANE
DE RACIBORSKO
MORSTYN,
SUBDAPIFER CRACOVIENSIS,
DEPUTATE TRIBUNALIS REGNI
non decrescit,
& Tu es lux Orbis Poloni & in Te hic splendor micat
&
Tu centum radijs influis in hanc sublunarem
Orbis Lechici plagam
Centum prouides oculis quibus plenum caput Tuum;
vnde adhuc inter ipsos Iuuentæ fluctus centoculus fuisti,
quando nil nisi pro dignitate statûs Tui & pro
commodo Reipublicæ egisti.
Hinc
ne tantum oculis tuæ prudentiæ prouideres Reipubl:
sed & centum linguis loquereris
pro eius commodo,
vario idiomatum generi iuuentam Tuam applicuisti.
sed tamen diu non moratus sub Vexillo Doctæ Palladis
ad Bellonæ Vexillum contulisti Te,
capax militaris excipiendæ disciplinæ,
ipse non minus breui aptissimus informare.
Præfectus Militum
Serenissimarum Reginarum Potentissimorũ
REGUM
CASIMIRI, & MICHAELIS,
consortium breui factus es
vtriq; placuisti Regi in Tuo Regimine.
Displicuit Alexandro Magno suus miles Alexander;
Tuum suaue nomen & gratum fuit
Maiesta-

Maiestati vtriusq; Regis, potissimùm tamen
MICHAELI MICHAEL dilectus,
non strinxit Te mutare Nomen:
quia facta & mores egregij commendabant illud.
sed cùm Sago inclytus eminuisti,
etiam Togæ Te obtulisti feliciter.
Vel ideò
quod non soli Bellonæ Te deberes,
nec magis Te Reipub: armis, quàm consilio prodesse, judicâsti;
nimirùm post impensam maximam vitæ Marti partem,
ad pacis decora Te contulisti,
HIC
post Epaminondam Lycurgus, post Achillem Consus,
vbiq; Te si in Sago, etiam in Toga summâ prudentiâ,
Magnitudine animi probasti.
æstimatione ergò Tui apud omnes eligi meruisti,
ex Palatinatu Sendomiriensi,
ad Tribunalitia Regni Judicia JUDEX DEPUTATUS.
Fortis & inuictus in acie Martis, integer & prudens in Areopago
stetisti vsq; ad inuidiam aliorum (justitiæ,
Palatinatuum, Ducatuum, Terrarum,
verè Vigil, verè Centoculus;
etiam nunc
ex Palatinatu Cracouiensi delegatus,
acceptasti functionem, verè non vt emineas, sed prosis
totus non sibi, sed vsibus Regni,
Vir justus & prudens;
Inter quæ negotia publica, etiam priuatis Tuis non dees curâ;
Vnde
MAGNIFICI ac GENEROSI DOMINI,
Filii Tui STANISLAI,
bonæ educationi consulendo,

tot vicibus me eius Præceptorem ſolicitâſti & ſolicitas,
vt radius hic æquè adimpleat LVNÆ VESTRÆ *Splendorem,*
ad commodum Eccleſiæ, vtilitatem Patriæ, incrementum Familiæ,
TIBI IPSI SOLATIVM:
ita etiam ſpera, Votis Tuis ſatisfiet.
Quis diceret
Fortes fortibus, bonos bonis non creari?
Aquilæ non generant ſimplicem columbam.
Interea accipe hunc Centoculum ARGVM, qui etiam
Centoculus es, grato animo MICHAEL MICHAELEM excipe,
Sanctum Patronum Tuum.
Noui ego, quòd centum in hoc die Feſto eloquentiores NOMINI TVO gratulantes hominum linguas habeas,
ſed & mea hæc inculta placeat Tibi;
ſi Te rudi paratu digna non eſt,
ſaltem beneficiorum Tuorum memorem eſſe iube & admitte,
etiam hæc mea cum votorum congerie
Te ſequitur.
Cuſtodiat Te in viis Tuis hic Cæleſtis ARGVS;
Vigilet pro TVO NOMINE hic Centoculus,
vt nunquam in media honoris aut felicitatis luce tenebras experiaris,
vt in quacunq; ingruente fortunæ nubilâ & nocte,
LVNA Tua ſerena ſemper fulgeat,
Neſtora Te cupio vt diu proſis,
Eccleſiæ, Patriæ, Familiæ Tuæ,
meq; Tuæ fronti benigniſsimæ ac oculis ſubiice,
Jpſeq; fias Diuinis gratus oculis,
qui animorum oculus es,
& oculatiſsimus bonarum mentium
Argus.





Biblioteka Jagiellońska
stdr0025625